



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Celsissimo Principi Ferdinando Episcopo Paderbornensi &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Nunc illas studiosa suo tibi Neustria mittit
 Nomine : quæ sensus populorum & publica vota
 Voce ferant , cumque officio testentur amorem,
 Magna quidem de te nobis promissimus omnes:
 Spem tamen evinces meritis; solumque querentur
 Nil ultra posse optari , te præside , cives.

CELSISSIMO PRINCIPI

F E R D I N A N D O

E P I S C O P O

P A D E R B O R N E N S I &c.

ME novus urget amor : juvat ire & visere sacros
 Amisii fontes : qua manet origine flavus
 Luppia ; queis Paderæ se mœnibus unda coronet
 Nascentem ; quæ famosus riget arva Visurgis ;
 Quos Romana locos clades & funera Vari,
 Et libertati Germanæ erecta trophæa ,
 Arminiusque suis sanctum ac venerabile nomen ,
 Nobilitent. Salve ô cœlo gratissima tellus ,
 Indigetum ac regum cunis dignata superbis.
 Cui quondam totum complexa potentia mundum
 Cessit ; & imperii præfagia certa futuri,
 Victrices populorum aquilas fascesque reliquit.
 Sed non tantus amor Latii vestigia fastûs
 Lustrare , & positam Drusorum manibus aram ,
 Castraque Saxonico quæ Carolus imbuit ultor
 Sanguine , quosque sibi addixit victoria campos ;
 Quantum optem magni vultus atque ora tueri
 Principis : ille animum pompis magis omnibus unus

Explere, & quoscumque viæ pensare labores
Sufficiat. Nam quas naturæ prodiga in ipsum
Non effudit opes manus; aut quæ præmia virtus
Non tulit, immensum sortis prægressa favorem?

Si gentile decus, si nobilitatis avitæ
Quæruntur tituli, fumosisque illita ceris
Stemmata; vix ulli se Furstemberga minorem
Submittit domus, ac ipsis se regibus infert.
Scilicet antiquo VVidekindi è semine crevit
Cattorum, ut perhibent, felix sub montibus arbos;
Radicesque egit late, intexitque beatas
Angariæ valles umbris & VVesphala rura:
Sceptraque luxurians torvis metuenda Borussis
Emisit trunco, & fatales Thracibus hastas,
Et dominas rerum virgas tulit. Illa coronis
Implicitas lauros, & frondes mitis oliuæ,
Non semel est mirata suis inserpere ramis.

Atque hinc perpetua heroum per sæcula venit,
Ferdinanande, tibi series: bellique togæque
Artibus insignes Frederici; & fortia corda
Hermannii; ac fidei priscae jurisque tenaces
VVenemari; & gaudens pro relligione tuenda
Exilium tolerare, sacrisque impendere Gaspar
Magnam animam; patriæque patris Theodorus honestū
Qui meruit nomen, mithrâ lituoque verendus;
Atque alii quos hic longus meminisse viritum
Sit labor. Hos inter rutilas, ut fulget Olympo
Astrorum flammis inter Diana minores.

Nam quota pars laudum, si fas numerare, tuarum
Nobilitas? Apices generisque insignia jactent,
Quos proprium decus, & justæ fiducia famæ,
Innitensque sibi & factorum conscia virtus,

Deficiunt. Tibi plus debere fatetur avorum,
 Quam tribuit, sanguis: pretium acquisivit eundo
 Et fonti acceptum cum fœnore reddit honorem.

Digna tibi imperio facies, & multus in ore
 Majestatis honos: sed qui contentus amari,
 Nil terroris habet. Mens pulchro in corpore regnat
 Pulchrior: illam oculi cœlesti ardore micantes,
 Ingenuusque lepos & non ascita venustas,
 Et sine felle sales, & lactea copia fandi
 Testantur, rapiuntque hominum mirantia corda.
 Felices! quos affatu dignaris amico,
 Queis depromis opes animo interiore repostas,
 Arcanum ingenii totum & penetralia pandens.
 Hic Sophiæ ac Themidis domus, hic Astræa relicto
 Consedit cœlo, & regum Prudentia custos,
 Innumeræque Artes, & clara inventa virorum.

Quas dum miratur juvenili in pectore dotes
 Chisius, ac sese gaudens agnoscit in illis:
 Ilicet arsit amore tui, alternamque petivit
 Promisitque fidem: cumque alto vertice regni
 Jam fulgeret apex & sacræ insigne tiaræ;
 Ille sibi vitæ socium delegit, & ultro
 Amisii è ripis Romanam accivit in urbem,
 Grande ornamentum Musis aulæque futurum.

O quoties dum purpureo laudante senatu
 Egregios actus patroni condis, & ingens
 Nomen Alexandri non impare tollis ad astra
 Carmine; suspensis Tiberinus restitit undis,
 Gratatus reduces Germano auctore Camenas.

O quoties sensum ante annos experta senilem,
 Et grave consiliis pectus, rebusque gerendis
 Mentem habilem, ac cunctos fortem superare labores;

Te patriæ invidit Roma, optavitque Quiritem
Esse suum. Ac ni mors Fabium immatura tulisset,
Ires jamdudum Latio spectandus in ostro,
Inclyta quod meruit virtus, quod numina debent
Justa tibi, studiisque optat certantibus orbis.

Absenti Padiborna alios decernit honores
Interea: flagrant pariter te principe cives
Et pastore frui. Ne spes ne differ amantum,
Ferdinande, morasque omnes abrumpe, vocatus
Assensu unanimo & votis concordibus urbis.
Quis pompam illius lucis, quis gaudia fando
Concelebret? sacro cum rite perunctus olivo,
Festivas inter voces cantusque tubarum
Cymbalaeque, & gratis modulata sonoribus æra,
Ibas delubrum ad magnum, soliumque petebas
Aureus in baculo & gemmantis tegmine mithræ.
Credo equidem cineres patrum exultasse sepultos:
Felicemque altis Divum de sedibus umbram,
Et spectasse, tuo & lætam applausisse triumpho.
Nec verò optatis solum provincia sensit
Respondere fidem: sed spes & vota fatetur
Inferiora suis, tanto sub principe, fatis.

Quæ dum Teutonicas miracula fama per urbes
Dividit, & gratis aures rumoribus implet:
Arrecti populorum animi, mirusque repente
Corda incendit amor. Tacitis tua sensibus omnes
Imperia exoptant: studio præsumit aperto
Westphaliæ caput, & Bernardo læta volenti
Deligit adiutorem, ac jus dat habere secundum:
Bernardo, Batavum justo qui Marte rebellem
Nunc premit, & sævis pavidum circumtonat armis,
Ille pedo gladium socians, mithræque comantem

Imbelli obtendens galeam , gens impia quando
 Fas omne abruptit , ferro flammisque refutat
 Crimina , & everfas Divorum ulciscitur aras.
 Interea coelum votis precibusque fatigans
 Poscis opem , ac superos melioribus addere castris
 Sollicitus curas : venient ad signa vocari ,
 Ne dubita , victoque dabunt ex hoste triumphum
 Ferdinande tuis : & quod clementia munus
 Prætulerit , pacem adjungent victricibus armis.
 Hanc pietas , & prisca fides , & casta sequetur
 Relligio. Fugient fraudes , & amica furori
 Hæresis ora regens mendaci turpia larvâ.
 Cumque olim terras senior , te flente , relinquet ,
 Coelestemque animam cognatis inferet astris :
 Tunc Paderæ Amisique jugo devincta sub uno
 Flumina pacatas volvent feliciter undas ;
 Et Ferdinandi læto cum murmure nomen ,
 Insignique ferent Musas trans æquora pompâ.

A D E U M D E M

EPISTOLA.

FERNANDO , patrem patriæ quem libera dixit
 Luppia; cui Franci palmas celeremque triumphum,
 Hermiones victi pacem debere fatentur ;
 Dicere quam mallet Commirius ipse , salutem
 Extremis longe Caletum mittit ab oris.
 Nescio quod tibi me secretis viribus astrum
 Temperat , & ductos per tot discrimina rerum
 Fortunæque animos arcano foedere jungit.
 Namque mihi insolito quatiuntur pectora motu ,

Et